IR
4138.


Nicolaus Nicolai Warburgensis;
In Reditum Hermolai Trolle
Gratulatio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

=L. N 1197

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

IN REDITVM

AMPLISSIMI VIRI,

SPLENDORE FAMILIÆ, SA-
pientia, Virtute, Dignitateq́; præſtantis, Domini
Hermolai Trolle de Herloffsholm, Equitis
aurati, atq́; Senatoris Regni
Daniæ ſapientiſsimi
Gratulatio

Autore
NICOLAO NICOLAI
VVarburgenſi.



Hafniæ
Excudebat Laurentius
Benedict.
1 5 6 2.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

AD MAGNIFICVM AC CLARISSI-mum Virum, Nobilitate generis, Virtute, prudentia, doctrinaq́; præſtantem, Dominum Hermolaum Trolle, Equitem auratum, atq́; Senatorem Regni Daniæ, Dominum hæreditarium in Herloffsholm, Mecœnatem & Dominum ſuum perpetua obſeruantia colendum.

*

AMPLE Vir, et claro non tantū nobilis ortu
Nobilis ingenij ſed quoq́; laude tui,
Cui dedit in Regni prudentia uera Senatu
Doctrinæ ē ueris fontibus hauſta locum.
Quemq́; Equitis Rex aurati donauit honore,
Cepit ut Heroica Regia ſceptra manu.
Hermolāe ô noſtræ clariſsima gloria gentis
Aōnij ſydus præſidiumq́; chori.
Quòd te reſtituit nobis Liuonia ſaluum
Pro meritis gaudet patria terra tuis.
Fama fuit, tumido te ſumma pericula paſsum
Æquore, præcipiti bella gerente Noto.
Turbati fuimus: uix tota Liuonia tanti
Fluctibus ut rabidis obijcerēre, fuit.
Hermolēoq́; tuo tu, qui comes additus ibas
Regis dicendo miſſus obire uices.
Quo meritò Suollæ celebres lætantur alumno
Fertilis & claris urbs generoſa uiris.

Doctor & Antiſtes legum, qui in principe Regni
Huius Cæſareum Ius profitère ſchola.
Cuiq; ſuas commiſit opes Schola Regia nuper
Imperijq; dedit ſceptra tenenda ſui.
Tu nobis Knoppere tuis iuſtiſsima ſummi
Rumor ut hic uenit, cauſa timoris eras.
Sed pater Omnipotens illo quæ tempore feci
Pro ueſtra, audiuit uota, ſalute mea.
Inq; ſinum patriæ reduces uos corpore ſaluo
Rettulit è longa duxq; comesq; uia.
Quò magis ex animo læti, uotiq; potentes
Soluemus grata debita mente Deo.
Qui cum reddit eos patriæ, quorum illa carere
Non benè conſilijs auxilijsq; poteſt.
Illos incolumes nobis cum in regna reducit
Eſſe ſibi curæ commoda noſtra docet.
Quantum ergò Hermoleos patriȩ mala fama dolorem
Antè tulit, reditus gaudia tanta tuus.
Sic etenim de quoq; tua pietate mereris,
Vt tua ſit patriæ digna fauore ſalus,
Cum tibi præſertim communi nulla ſalute
Cura ſit, à ſancta Relligione, prior.
Nullaq; cum prorſus tibi res uideatur ab ipſo
Numine, natali charior eſſe ſolo.
Seu facis in Regni uenerando uerba Senatu,
Et perſona tibi publica agenda uenit.
Non in conſilijs tua, ſed communia ſpectas
Commoda, nec tibi non ſunt potiora tuis.
Seu priuata geris: non officioſus in illos
Es tantum, quibus eſt, undè referre queant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Sed quocꝫ pauperibus, qui contemnuntur ubicꝫ,
Ipſe tuis opibus fers miſeratus opem.
Quàm ſis ſollicitus de relligione tuenda,
Decꝫ inſtaurandis, quid memorabo, ſcholis?
Vrbs ſatis id uicina probat, quæ nomine Regis
E' peregrinorum claſſe tributa capit.
Hac quæcuncꝫ tibi rediêre ex urbe quotannis,
Vrbis, ea tibi ſunt lege dicata ſcholæ.
Vt bis quotidiè pia templa frequentet,& illic
Sacra canat ſolito carmina more Deo.
Atcꝫ ſemel feſtis ut Gymnaſiarcha diebus
De rebus faciat publica uerba ſacris.
Nec ſatis eſt iuuiſſe ſcholam, ſed & illius urbis
Sarta tenes opibus tectacꝫ templa tuis.
Nàm magni pretiĳ graue munus ad illa tuliſti,
Nuper ab integro cum reparanda forent.
Munus grande quidem pretio: ſed pectore dantis
Omni illud pretium munere maius habet.
Hæc etenim pietas Saluantis dogmata Chriſti
Amplexum uera te docet eſſe fide:
Dum non, ut multi faciunt, ſolummodò uerbis
Sed uita & factis exprimis illa tuis.
Dumcꝫ tuo ludos & templa miſerrima ſumptu
Inſtauras, Chriſti dum pia membra foues.
Te leue iudicium procerum contemnere monſtras
Qui, ſeruire deo, dedecus eſſe putant.
Omnia, pro nihilo, ſtolidus quæ ſuſpicit orbis,
Ducere, nil cupidum nominis eſſe tui.
Sed modò uelle dei laudes, hominumcꝫ ſalutem
Officĳ tacita relligione probas.

Quod nàm contulerim tali cum pectore donum ?
    Quod munus tantis par queat eſse bonis ?
Tale cor eſt longè toto precioſius orbe,
    Nil mundus tali pectore maius habet.
Omnis ei rerum natura miniſtrat, eicq́;
    Cedit, dant illi duracq́; fata locum,
Angelicicq́; chori, cœlicq́; exercitus omnis
    Plaudit, & ē tali gaudia corde capit.
Denicq́; Maieſtas tali diuina quieſcit
    In corde, hìc ſedes figit & illa ſuas.
Hîc uelut auguſta ſublimis in arce triumphat,
    Incipit hîc regni munia ſancta ſui.
Talia ſed cunctis ut rebus pectora præſtant,
    Sic nimium noſtro tempore pauca uides.
Millia des hominū : quotus hinc, qui nomina Chriſti
    Prouehat, atcq́; ſui commoda fratris, erit ?
Quiſcq́; hoc diuitijs & honoribus utitur æuo
    Ad faſtum uitæ delitiaſcq́; ſuæ.
Nemo dei in cultum confert, in publica confert
    Commoda donantis munera nemo dei.
Sed quò diuitijs quiſcq́; eſt maioribus auctus,
    Cor magis hoc uacuum relligione gerit.
Non benè conueniunt uariorum cauſa malorum
    Mammona, ac omnis Chriſtus origo boni.
Nec benè cum ſtudio ſacræ pietatis in una
    Sede prophanarum cura moratur opum.
Hinc etiàm nequeunt, quicuncq́; tenentur eadem,
    Iudice te, regnum Chriſte ſubire tuum.
Nempè quòd hęc Remora eſt, ſurſū quę uerſus eūtes
    Siſtit, & euectos rurſus ad ima trahit,

Fer-

Ferre bonos fructus hæ ſpinæ è ſemine uerbi
    Pectoris humani non patiuntur agrum.
Quō magis ergò tibi placido Rhamnuſia uultu
    Arridet, magnis Magne Vir aucte bonis:
Quō ſunt plura tibi maioraq; munera rerum,
    Quas tibi ſors, uirtus & tua ſumma dedit.
Quō tibi nobilitas, prudentia, gratia, laus eſt
    Maior, & utilium copia maior opum:
Hōc magis eſt pietas laudanda, quòd uteris illis
    Eximijs, ſalua relligione, bonis:
Quòdq; tuis alimenta petis uirtutibus illinc,
    Vndè alij uicijs pabula dira ſuis.
Nuper enim patriæ ſuperiſq; ea dona dediſti,
    Quæ decus his, illi commoda ſumma ferant.
Cum ſiquidem facto ſis pluribus utilis ipſo,
    Exemplo plures utiliore iuuas.
Ac quamuis multum ſit in amplo munere fructus
    Plus tamen exemplo commoditatis ineſt.
Præſertim cum ſit numerus tam paruus eorum,
    Qui tecum patriæ dona Deoq; ferant.
Quiq; ſalutiferam uero teſtentur amore,
    Quam falſo geſtant ſemper in ore fidem.
Si, meus ut Naſo canit, acceptiſsima ſemper
    Munera ſunt, author quæ precioſa facit.
Tum tua ſunt uerè precioſa, quòd omnibus orbis
    Proueniant animo nobiliore bonis.
Sin, qui dona capit, ſpectandus, & ultimus ille
    Finis, quō munus quodq; refertur, erit.
Cui potius quàm dona Deo ferremus, ut illi,
    Qui uitam nobis & bona cuncta dedit:

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Aut quis eorundem potior, quàm gloria Chriſti,
Quamq́ȝ ſalus hominum, finis habendus erat?
Cum præſertim ad eum ſint omnia condita finem
Quæ cœlum & mundi machina tota tenet.
Summa quidem Fabij laus eſt, quòd reddidit hoſti
Pro captis fundos ciuibus ille ſuos.
Quanta erit illius laus, qui patrimonia confert
Ad ſtudia & ſanctum relligionis opus.
Vt ueram patriam, regna ad cœleſtia ciues
Ducat, & æterno ſeruet ab hoſte ſuos.
Quòd tibi Roma Aſiam bello dedit Attale captam
Muneris hiſtorias replet honore ſui.
Quanta tuo Hermoleos debetur gloria facto
Qui Regi Chriſto fers pia dona tuo.
Cui multò maior pars ingratiſsima mundi
Non modò nil tribuit, ſed quoq́ȝ multa rapit.
Et bona ſacra ſuos temerè conuertit in uſus
Ac ipſum ſpoliat dilaniatq́ȝ Deum.
Cum miſeriſq́ȝ ſcholas uaſtans & templa miniſtris
Chriſto ſacratas depopulatur opes.
Ô ſcelus infandum: quid tales obſecro dicent
Cum Chriſti ſtabunt iudicis antè thronum?
Quam miſeri poterunt horrenda uoce roganti
Huic cauſam ſceleris reddere quæſo ſui?
Ô quantum Hermolëos rectè tibi conſcius illic
Antè hos ſacrilegos ipſe beatus eris.
Filius ipſe dei præſens ità læſus ab iſtis
Cum ſit multiplici cultus honore tibi:
Cum loca doctrinæ, loca cum pietatis ab iſtis
Expilata tuis auxeris ipſe bonis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Nec furioſa tuas in lucra locaueris auri,
Lucra ſed in uitæ fine carentis, opes.
Nec tibi ſit plena poſitus theſaurus in arca,
Rodere quem tineæ, fur ſpoliare poteſt.
Sed cum Gaza tibi ſit in ipſo condita cœlo,
Perdere quam blattæ, tollere prædo nequit.
Quæ non deficiet, non euacuabitur unquàm,
Mortales ueluti diminuuntur opes.
Sed quæ ſufficiet, ſed quæ magis aucta magisq́
Creſcet, & æternas diues habebit opes.
Conferat his ſua nunc præconia tota uetuſtas,
Inſcia quæ ueræ relligionis erat.
Conferat hûc quicquid tanta cum laude peregit
Inclyta dum ſaluo Græcia flore ſtetit.
Quicquid & illuſtris cum tanto geſsit honore
Roma, triumphati dum caput orbis erat.
Illa quidem ſtolido uideantur ut optima mundo,
Haud ulla poterunt parte placere Deo.
Quicquid enim Chriſti merito non nititur uno,
Sit licet excellens, diſplicet omne Deo.
Res gerit Auguſtus magnas, patriæq́ ſalubres,
Sed meliore dei cognitione caret.
Ergò nec quid ſit peccatum nouit, & ira
Iudiciumq́ Dei, quæ medicina mali:
Sola quòd antè Deum faciat nos gratia Chriſti
Iuſtos, æternis eripiatq́ malis.
At quid homo miſer eſt aliud ſine numine Chriſti
Quàm phlegetonteæ præda parata neci?
Mancipium Sathanæ, mala, conflagrandaq́ nunquàm
Materia ardentis perpetuo igne lacus?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Quorſum nunc ſtatuæ Auguſti, fuſisq́ triumphi
Hoſtibus, & uarijs fixa trophæa locis?
Tot ludi celebres, tot ſcripta ferentia laude
Vnius, ad cœlum, nomen inane uiri?
Quidue aliud fatui laus eſt & gloria mundi
Quàm uana & miſeri fabula plena ioci?
Quò magis Hermolëos te uera laude beatum
Prædico, qui uerum noſcis amaſq́ Deum.
Quiq́ Deo natum, quem mundus & impius odit
Dæmon, hoſpitio ſuſcipis atq́ foues:
Illius & patrijs ut dogma tenere queamus
Finibus, & ſalua relligione frui,
Templa ſcholasq́ tuo ſuſtentas munere, quarum
Abſq́ miniſterio dogmata cuncta iacent.

Eſt à Nobilibus duxiſse parentibus ortum,
Plenum multiplici commoditate decus.
Sæpè relinquit enim generoſa in prole parenti
Inſita, uirtutis, uis, monumenta ſuæ.
Cernis ut eximium uaga nec muſtela leonem,
Nec fortem uulpes callida gignit equum.
A' timido timidus, fortis plærumq́ creatur
Filius à forti patre, bonoq́ bonus:
Teſtis es Hermolëos, uirtutis imagine patrem,
Et morum referens nobilitate genus:
Dignus auis, proauisq́ tuis, & patre Iacobo
Trolle, omni claro laudis honore Viro.
Iudicio quis enim prudentior, æquior illo
Iuſticia, aut magis eſt relligione pius?
Qui fuit Auratus clari prædiuite fama
Nominis à ſummo Rege creatus Eques.

Par

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Par fuit, & tali mater tua digna marito,
    Nec uitæ & generis nobilitate minor.
Fœmina præcellens generis uirtutibus omnis,
    Ore decens, prudens, caſta, modeſta, pia,
Vndē propagatos in te reor inq́ꝫ duobus
    Virtutum ſtimulos, fratribus, eſse pares.
Clarus enim pacis belliq́ꝫ eſt artibus alter,
    Alter eques laudis factus honore ſuæ eſt.
Talibus ergò genus traxiſse parentibus, illa
    Laus eſt magna quidem, non tibi parta tamen:
Nec tibi (pace tua dicam) ſed propria tantum
    Ipſis, à quibus eſt illa relicta tibi:
Nām laus alterius, non noſtro parta labore
    Vix eſt iuditio noſtra putanda meo:
Quicquid ut ex ortu ſit laudis, id omne parentis
    Laudati, ſobolis nec uideatur opus.
At quòd honoratam claris uirtutibus ornas
    Stirpem, nec ſine re nomen inane geris:
Quòdq́ꝫ es doctrina, quòd præditus arte magiſtra,
    Conſona quòd ſtudijs eſt tua uita tuis:
Quòd grauis, & prudens, moderatus, fortis, & æquus,
    Quòd pius & ſanctæ es relligionis amans:
Et quòd conueniunt in te fœliciter uno
    Omnia, quæ uerè quiſq́ꝫ beatus habet:
Hoc meritò proprium tibi & eſt, & iure uocatur,
    Hoc eſt, & propriè dicitur eſſe tuum:
Hoc & conciliat nomen, famamq́ꝫ perennem
    Nominis, & uera nobilitate beat.
Cætera Fortunæ quæ ſunt ſubiecta, parentes
    Res & opes, uarijs caſibus icta ruunt.

Prædia, diuitiæ, tituli, monumentaq́; famæ
Et generis finem ſunt habitura tui.
At tua ſumma Dei reuerentia, ſummus in omnes
Mortales omni fine carebit amor:
Orbe palàm toto ſtabit tua, iudice Chriſto,
Innumeris pietas conſpicienda bonis:
Teſtis erit præſens, & laudum præco tuarum
Æterni fulgens Chriſtus honore patris.
Hîc promiſſa feres cœleſtis gaudia uitæ,
Gaudia mortali non referenda ſono:
Qualia nemo oculis percepit & auribus unquàm,
Nemo nec ingenio, nec ratione tulit.
His igitur lætare tuis, Vir Maxime, tantis,
Nil toto quibus eſt maius in orbe, bonis.
Maius enim miſera quid in hac conualle tenemus
Antē Deum Chriſti iuſtificante fide?
Qua ſine noſtra nihil, niſi mors, eſt uita putanda,
Qua ſine uiuentes mortua membra ſumus.
Dona dei, bona ſint cum cætera, iuſtus eorum
Vſus habet laudem, crimen abuſus habet:
Quæ cum dona Dei tu tàm reuerenter haberes,
Antē alios merita laude ferendus eras:
Qui ſibi diuitijs hominum commune deiq́;
Accerſunt odium ſuppliciumq́; ſuis.
Diuitijs quibus eſt & honoribus una potiri
Cura, & ob hæc homines & uiolare deum.
Ergò leues placidæ dum pacis honeſta Tyranni
Otia perturbant, & fera bella gerunt.
Dum ratione Deum docti impugnare Sophiſtæ
Blaſphema Chriſto prælia uoce mouent,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Tu quæ grata Deo, patriæq́ꝫ ſalubria ducis,
Cuncta tuis præſtas ciuibus atq́ꝫ Deo.
Abs te ſuſcipitur ſub imagine, Chriſtus, eorum,
Quos premit indignis ſors miſeranda modis.
Tu nutris aliquos, qui templa ſcholasq́ꝫ gubernent,
Qui ſtudiꝫ tractent & pietatis opus.
Inſtituis tu ſacra tuo ſolennia cenſu
Antè deum quouis bis peragenda die.
Tu foris atq́ꝫ domi commiſsa negotia Regni
Ingeniꝫ ſumma dexteritate geris.
Deniq́ꝫ tu patriæ non ſolum laudibus æquas,
Sed ſuperas etiàm ſplendida facta domus.
Quod tu non faceres, niſi natus ad ardua primum,
Doctus & à teneris ad meliora fores.
Et niſi diuina renouatum luce fuiſset
Quicquid origo tibi contulit ampla boni.
Tantum habet excellens ad res natura gerendas
Pondus, & innatis ars comitata bonis.
Pectoris Heroici tantum præſtantia, uera
Illuſtrata Dei cognitione ualet.
Hinc non immeritò fœlicia iudico, doctos,
Regna, Senatores quæ reperêre uiros.
Quiq́ꝫ bonas artes didicit, modò nouerit uti,
Eſse uirum magnum terq́ꝫ quaterq́ꝫ puto.
Nàm queat ut rerum facilis natura uel abſq́ꝫ
Artibus inſignes ſponte creare uiros.
Quot tamen hac hominum praua ſub origine tales
Ac non diſsimili conditione creat ?
Adde quòd ingenium magnos quos fecit, eoſdem
Ars quoq́ꝫ maiores parta labore facit :

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Nec ſine doctrina, ſola ingenioſa uetuſtas
Natura tantum laudis adepta fuit :
Illa ſed ingenio cum magna ſuopte fuiſset,
Accepit docta maius ab arte decus :
Hoc pacto Æacides euaſit tantus Achilles,
Quantus carminibus fertur Homere tuis.
Dictus Alexander ſic eſt cognomine Magnus,
Cuius Ariſtoteles ipſe magiſter erat :
Qui debere patri ſe plurima, plura magiſtro,
Dixit, & immenſi eſt orbis adeptus opes.
Cui tamen haud alio quæſita potentia fine
Tanta, niſi ad faſtum luxuriamq́; fuit.
Nec, niſi ſponte ſua, tot, tantaq́; bella, nec ullo
Numinis auxilio uiſa fuere geri.
Quantò igitur noſter merito cognomine Magno
Maior Alexandro Rex Fridericus erit ?
Vt qui non alio, iuſto quàm pacis honeſtæ
Imperijq́; ſui nomine bella mouet.
Quiq́; authore deo ſua cuncta negotia ſentit,
Bellica ſeu fuerint, ſiue togata, regi.
Illius hinc etiàm meritò uictoria tantis
Et tot Alexandri gratior una Deo eſt.
Et tantò maior laus eſt, quantò omnibus orbis
Plus, opibus pietas unica laudis habet.
Qui precor ut uiuat, regnoq́; in pace fruatur,
Aut domito palmam uictor ab hoſte ferat :
Vireſq́; auſpicijs inimicas frangat ijſdem,
Vim quibus infregit Dithmaris ora tuam.
Hos legeret paucos Maieſtas Regia uerſus,
Fortè foret Muſis non inimica meis.

8

Tu modò pauca pio ne commendantia Regi
Dicere pro nobis uerba grauêre precor,
Hocq́ leue officium noſtro tibi carmine factum
In partem accipias, Vir generoſe, bonam.
Si me fata ſinent, laudes ego carmine noſtri
Principis atq́ tuas uberiore canam.
Intereà ſuperos, ut longo tempore ſeruent
Te incolumem, toto pectore quæſo Deos.

F
I N I
S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4138 4° (LN 1197)